



tici, sed etiam ante illud periculum, et quidem sæpius invito; Sic communis; et desumitur ex verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, cum concordantiis.* (8. Tempus hujus obligationis, cum non possit generatim determinari, est singulariter determinandum prudenti judicio, ita tamen ut sacra communio non nimium differatur. Unde, ut huic præcepto Divino generalius, atque majori cum fructu animarum satisfiat, Sancta Mater Ecclesia in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III celebrato præcepit, ut Fideles post annos discretionis ad minus in Paschate Sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiant; habetur expresse in cap. *Omnis utriusque 12, de pœnitent. et remission.* ibi: « Omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin, et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat Sepultura. » Et idem declarando statuit Tridentinum sess. 13, cap. 9, « si quis negaverit omnes, et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit. » (9. Ad satisfaciendum præcepto imposito in d. c. *Omnis utriusque* sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis. Sic declaravit Eugenius IV, Constit. incip. *Fide digna.* (10. Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili; Sacra Congregat. Conciliorum 19 Novembris 1616, et in citato capit. *Omnis utriusque.*

(11. Eucharistia pro adimplendo præcepto Paschali est sumenda in propria Parochia; Ita communis, et desumitur ex cit. cap. *Omnis utriusque*, et pluries declaravit Sacra Congr. Concil. (12. Unde si quis communicaret in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfaceret, quia Canone *Omnis utriusque* præcipitur a proprio Parocho Eucharistiam sumi; Sac. Congreg. Conc. 23 Januarii 1588. (13. An autem communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciatur præcepto variant Doctores. Satisfacere affirmant Abbas in cap. *Omnis utriusque* num. 12, de *Pœnit. et remis.* Guttier. Canon. qu. lib. 1, cap. 30, num. 12. Lavor. *Elucubr. var. lit.* 2, cap. 11, num. 65. Barbosa de *Paroch.* part. 2, cap. 20, n. 12. Panimol. part. 3, decis. 61, num. 5. Felix Potestas tom. 1, part. 3, num. 2916. Passerin. Sa, Piasec. et alii. Non satisfacere tamen, nisi licentiam dederit Ordinarius, vel proprius Parochus, merito tenent Cardin. de Lugo in *Respons. moral.* lib. 1, dub. 15. Diana part. 9, tract. 9, resolut. 64. Dicastil. d. 10, num. 170. La Croix lib. 6, part. 1, num. 633. Ursaya in *Miscellaneo Sa-*

*cro, et profano* lit. P. num. 263, et varii alii, et solide probat Pignatell. tom. 7, consul. 89, num. 12, usque in finem; ubi sub num. 18, testatur, quod sæpius ita declaravit Sac. Congreg. Conc. nominatim in Limana, in Sutrina, et in Perusina mense Septemb. 1649, et Innoc. XI, sub die 5 Februar. 1682, in audientia Reverendis Parochis Urbis a Sanctitate Sua publice data, inter cætera, suæ vivæ vocis oraculo decrevit omnes utriusque sexus Fideles, qui in Urbe commorantur, teneri pro satisfactione præcepti annuæ communionis Paschalis Sac. Communionem a suo proprio Parocho in suis Ecclesiis Parochialibus, in quarum Parochiis habitant, suscipere, et nullo modo dicto præcepto satisfacere per communionem in Ecclesia Lateranensi, vel Vaticana, vel nationali cujusvis nationis, vel in quacumque alia susceptam. Et ita in posterum omnino servari mandavit præsentibus Emin. Card. Vicario, Illustr. Vicegerente, et ipsomet Pignatello Cleri Romani Camerario, ac omnibus Parochis Urbis, non obstantibus quovis Decreto Congreg. Visitationis Apostolicæ, aliarumque Congreg. ac privilegii, et consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus. (14. Sacerdos satisfaciit pro communionem Paschali ubicumque celebret Missam; tamen si non celebret, tenetur communicare in Parochia, quia quando agit ut Laicus, tenetur præcepto ut Laicus; Lugo tom. 5, disp. 18, num. 31. Gobat tract. 4, num. 74. La Croix loc. cit. n. 630, et alii passim. (15. Vagi, et Peregrini, et Advenæ possunt ubilibet præcepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium; Bossius verb. *Communio Sacra* num. 11. Reiffenstuel. *Theolog. moral.* tract. 10, dist. 3, qu. 4, num. 40. Lantusca verb. *Eucharistia* n. 6, et ex Constit. Jul. II, incip. *Dum ac Sacrum* § 37.

(16. Fratres, et Sorores tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, et alii quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes debent pro satisfaciendo præcepto Paschali Eucharistiam recipere a proprio Parocho, et non a Regularibus; Leo X. Constit. incip. *Dum intra* § 19. Sac. Congreg. Episcop. 11. Septemb. 1574. et 20. Decembr. 1616. Nec obstant Constitutio, *Pretiosus*; Constitutio, *Paterna*, aliæque emanatæ a Benedicto XIII, quia fuerunt abrogatæ a Clemente XII; Constitutio, incip. *Romanus Pontifex.* (17. Famuli autem, domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus, ut colligitur ex abunde adductis sub verb. *Approbatio* art. 1. a num. 64 ad 68, ubi fuit ostensum posse Regulares tales commensales continuos absolvere absque approbatione Episcopi; Vide ibi, et tales famulos domesticos habitantes intra septa Religiosa Societatis Jesu satisfacere communicando in templis ejusdem Societatis docet absolute Illung. tom. 6, d. 4, n. 154. et La Croix loc. cit. num. 633. ubi dicit adesse hoc expressum privilegium in *Compendio* verb. *Familiaris* § 1 et 2, et Lantusca

verb. *Eucharistia* num. 7. tenet absolute posse hoc Regulares ex concessione Julii II. Constit. incip. *Dum ad Sacrum*, et testatur de communi Reiffenstuel, loc. cit. num. 40. (18. Hoc tamen privilegio non gaudent sæculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, et vivunt; Communis. (19. Nec hoc privilegio gaudent Advenæ, qui in Monasteriis Regularium infirmantur ex Decreto sacre Congreg. Concil. quæ in una Monopolitana 27 Septembr. 1670. ut in lib. 20. *Decr.* fol. 444. censuit « non licere Fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis. »

(20. Regulares non possunt in die Paschatis administrare sæcularibus Eucharistiam; Sac. Congr. Concil. 2 Martii 1619. (21. Elsi tales personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto, ut respondit Sac. Congr. in Burdigal. 9 Junii 1644. et in Senon. 21 Jun. 1650. et in Mechlinen. 3 Jan. 1682. (22. Per communionem sacrilegam non satisfit præcepto; Innocentius enim XI. die 2 Martii 1679. damnavit sequentem propositionem 55 in ordine: « Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. » (23. Qui culpabiliter non adimplet præceptum Paschale, vivens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura, textu expresso in cit. cap. *Omnis utriusque*, ibi: « Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. » (24. Ipse tamen, qui non confitetur, nec communicat in Paschate, non est ipso jure interdictus, sed interdicendum est per sententiam: unde si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, dummodo obierit cum signis contritionis; Sac. Congr. Episcop. in Cajetana 24 Junii 1595. Nisi tamen intermissio esset notoria; cap. *A nobis* 28. de *Sentent. excomm.*, vel adesset statutum Synodale in contrarium; Sac. Congr. in Barenis. 15 Decembris 1696. (25. Qui tempore Paschatis Eucharistiam juxta præceptum Ecclesiæ non recipit, potest insuper pœna pecuniaria, vel excommunicationis mulctari, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. in qua propositis sequentibus dubiis:

I. « An Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad confessionis, et Eucharistiæ Sacramenta negligunt accedere, et pœnas, cap. *Omnis utriusque* sexus, de pœnit. et remission., contemnunt, possit etiam ad excommunicationem procedere.

II. « An pro satisfactione pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere? »

III. « An expediat talium absolutionem sibi reservare? »

« Die 28 Januarii 1487, Sacra Congreg. ad primum censuit licere, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa communio ad tempus dilata fuerit. Ad secun-

dum posse injungi elemosynas alicui pio loco applicandas pro hujusmodi excommunicatorum emendatione. Ad tertium non expedire, » lib. *Decret.* pag. 604.

(26. Excommunicati paulo ante Pascha non sunt molestandi, si non communicant in Paschate; Sac. Congregat. Episcop. 23 Maii 1601. apud Piton. *Constit. ad Parochos utriusque Cleri* n. 205.

(27. Nullo modo licere in Missis Defunctorum præbere Eucharistiam Fidelibus illam deposcentibus, statuit Sac. Rit. Congr. 16 April. 1701. (28. Neque ministrari in paramentis nigris; ead. Sac. Rit. Congr. 2 Augusti 1701, id est nec tempore celebrationis, nec post, ex declaratione ejusd. Sac. Rit. Cong. 20 Mart. 1. 11. et confirmat 1 Augusti 1724. At novissime anno 1741. 2 Septembris declaravit ut sequitur. In Missis defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis extrahendo Pyxidem a Custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur Communio cum particulis intra eandem Missam consecratis; Sac. Rit. Congr. 2 Septembr. 1741. (29. Neque potest Eucharistia ministrari Fidelibus in nocte Nativitatis Domini, non obstante quocumque privilegio; Sac. Congr. Rit. 7 Septemb. 1641. 9 Aug. 1653. et 20 April. 1664. in una Pisauriensi, in qua habetur, ut sequitur: « Patres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium petierunt responderi: An liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles? » Sac. Cong. respondit *nullo modo licere*, sed omnino prohibetur. Et cum abusus celebrandi successive ad primam Missam, et communionem præbendi fidelibus, iterum tam in Urbe, quam extra resurgeret, denuo observantia dictorum Decret. a Sac. Congreg. Visitationis Apostolicæ 7 Decembr. 1702. Et Edicto Eminentiss. Card. Vicarii 18 Decemb. 1702. stricte demandata fuit. Vide verb. *Missam* art. 5. num. 15 et 16, ubi ad litteram dantur.

(30. Eucharistia potest præberi pueris novem, aut decem annorum, si super Mysteriis Fidei, et Sacra Communionem sint plene instructi, et de reverentia debita non dubitentur; Communis cum S. Thoma in 4. dist. 9. qu. 1. art. 5. quæstion. 4. in corpor. S. Carol. Borrom. *Act. Eccles. Mediolanens.* part. 4. instruct. de *Sacr. commun.* tom. 1. (31. Eucharistia potest præberi mutis, et surdis a nativitate præsertim tempore Paschali, et in articulo mortis, dummodo aliunde non appareant indispositi; Abbas Panormitan. in cap. *Cum apud, de Sponsalibus*, Layman lib. 3. tract. 4. n. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 43. et alii passim. (32. Sic etiam præberi potest Eucharistia Energumenis (hoc est a Dæmone obsessis), Epilepticis, et aliis infirmis, non solum in Paschate, ac mortis articulo, sed etiam aliis temporibus, dummodo Sacram Eucharistiam absque irreverentia sumere possint, et cæteroquin

indispositi non appareant: Communis. (33. Item præberi potest Eucharistia semifatis, stolidis, phræneticis, amentibusque, si intervallum rationis habeant, dummodo non sit periculum vomitus, indecentiæ, aut irreverentiæ. Non potest tamen præberi perpetuo amentibus; Communis. (34. Tenetur ægrotus ex præcepto Divino Eucharistiam sumere per modum Viatici, quando ex Medicorum judicio est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus; Communis. (35. Et licet sit jejunus, recte adhibetur adhuc formula: *Accipe Viaticum* etc., cum non minus sumat Eucharistiam per modum Viatici ægrotus jejunus, ac non jejunus, ex quo Viaticum sit præparatio pro via ad cœlestem patriam brevi aggredienda, tam a jejuno, quam a non jejuno; Viatici enim nomen venit a voce *Via*, sumpta adnominatione a Cibariis, quæ a Viatoribus ad iter agendum præparantur; S. Thom. 3. p. q. 73. art. 4. in *Corpore*, ibi: « In quantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria, et secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi, » et colligitur ex cap. *De his* 9. caus. 26. quæst. 6. Vide verb. *Viaticum*, num. 6.

(36. An autem, qui mane ante periculum ex devotione communicavit, si superveniat periculum, teneatur eodem die per modum viatici communicare: Variant Doctores, Suarez, Aversa, Coninch, Lugo, Gobat, tract. 4. num. 17. et seq. La Croix lib. 1. p. 3. num. 617. et alii cum ipsis probabiliter negant, quia duplex una die communio prohibetur, et quia, qui communicavit quando erat proxima mors, censetur satisfacisse præcepto Viatici. Vasquez tamen, Turrianus, Ochagav, Hurtad, Quintanadven., Felix Potestas tom. 1. p. 3. num. 1923. et alii affirmant teneri iterum communicare pro Viatico, quia præceptum Viatici mane non obligabat, adeoque ei non satisfacit, et hanc sententiam vocat probabilem, ac tutam Dicastill. d. 10. dub. 3. et merito tamquam tuta, immo tutior, est sequenda, quia licet, ut dicunt Auctores primæ sententiæ, duplex una die prohibeatur communio, hoc tamen est solum præceptum Ecclesiasticum, quod debet cedere præcepto Divino communicandi per modum Viatici. Nec communicando, quando erat proxima mors, ipso inscio, cum de mane fuerit perfecte sanus, potest censeri satisfacisse, præcepto Viatici, de quo nec cogitabat, unde ad huic satisfaciendum videtur teneri iterum communicare per modum Viatici. « In tanta opinionum varietate (sic concludit Benedictus XIV. *de Synodo Diac.* lib. 7. cap. 11, n. 2.) Doctorumque discrepantia, integrum erit Parocho eam sententiam complecti, quæ sibi magis arriiserit, quin fiat reus violati statuti synodalis, quod certe non potuit casum istum respicere; neque fas erit Episcopo, aut in Parochum animadvertere qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de ejusmodi controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes Judicis inter

gravissimos hac super re contententes Theologos. » Ita ille. (37. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus post aliquot, V. G. sex dies, septem, aut octo repetere Viaticum, non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurat. Communis, teste Busembaum lib. 6. dub. 2. art. 2. Immo Layman dicit hoc posse etiam post solos duos dies. (38. Quando morbus, et periculum diu protrahitur, post 7. vel 8. dies potest iterum dari communio non jejunus. Sic Communis, ut testatur Lugo *de Sacramento Eucharistiæ* disp. 15. sect. 3. num. 64. (39. Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa die potest sanis præberi Eucharistia, Sac. Rit. Congregat. 19. Februarii 1622.

(40. Communio quotidiana absolute loquendo non expedit omnibus indifferenter, quod judicio prudentis Confessarii relinquendum est, qui devotis personis, et præsertim Monialibus, quas dirigunt, petentibus, sæpe, aut etiam quotidie negare non possunt communionem, posito, quod dignæ judicentur, neque deterreri debent a quotidiana communionem, cum ista a Sanctis Patribus commendetur, ut patet ex cap. *Non iste* 55. dist. 2. *de Consecratione* ex verb. S. Ambrosii ibi: « Iste panis quotidianus est, accipe quotidie; quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere. » Quod et summe optaret Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. ibi: « Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. » (41. Circa istam autem communionem quotidianam attendendum est sequens speciale Decretum editum a Sac. Congreg. Concil. 12. Februar. 1679. et expresse approbatum ab Innocentio XI.

*Decretum circa Communionem quotidianam.*

« Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceve, et simul affirmari eandem quotidianam communionem præceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquot abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, et domi, immo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea techa inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt sacerdotes sæculares, aut regulares, aliique in Communionem accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sacræ Congregationi Cardin. Concilii Interpretum, eadem Sacra Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusque Sacrosanctæ Eu-

charistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certis singulis mensibus, aut hebdomadis dies stauerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quod cuperet tantum indicavit cum inquit: « Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. » Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum processus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, et Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certi de cuiusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano Vitalis Panis esu potest constitui, et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, *Confessariorum secreta cordis explorantium* judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiarum fructu et ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debent. In *Conjugatis* autem hoc amplius animadvertant, cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiarum vacandum, puriorque mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a Sac. Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sac. Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant; et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim ad illud sumendum de magna præparatione orationem habeant, generaliter ostendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac Divini Ju-

FERRARIS. III.

dicii formidine, discant Cœlestem mensam, in qua *Christus est*, revereri et si quando se minus paratos senserint, ab eo abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, et judicii temperamento alere debent, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiarum parendum, ut omnis irreverentiæ, et scandali suspicio in veri, et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in summentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio Divina præstante gratia tenentur, seque *Sacratissimo Pane* frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, et se pretium in morte tradidit, atque in Cœlesti Regno in præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio ut suam opem ad dignam præparationem, et sumptionem largiatur.

« Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii, redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure Divino; doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispositione, seu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctiss. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes Domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia, deferatur publice, et cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubricæ, et Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, et confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes, secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, et Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens decretum typis mandari ac publicari voluit.

« Datum Romæ 12. Februarii 1679.

« F. CARD. COLUMNA PRÆF.

« S. Archiep. Brancaccius

« Episc. Viterbien. Secr. »

(42. Quando commendatur frequens usus communionis, intelligi debet de sola Communionem digna, quia sola digna Communio est utilis ad salutem: unde Innocentius XI.